

Supereffundenti leticię vix temperantes habitu animorum, quibus affecti sumus, pre gaudio gestienti ne ipsi quidem estimare possumus patimurque simile quiddam his, quibus ex tenebris in subitam claramque lucem emergentibus caligo quedam ex ipsa splendoris exuperantia offunditur. Familie vero Forcheimensis¹ inmensa gaudia, maxima tripudia quod ingenium concipiat, quę lingua expedire sufficiat! Cum enim primi expectatissimi nuntii velut aura eos afflasset, magis auribus quam animis acceptum est atque ideo^b cum ipse ego P. presens testis apparuissem remque declarassem, maius gaudium fuit, quam quid universum homines acciperent. Vix satis credere se quisque audisse et alii alios intueri mirabundi velud ad somni speciem vanam, quod ad quemque pertinebat, suarum aurium fidei minimum credentes proximos interrogabant. Cum vero iterum iterumque eadem identidem pronunciassem, tum enimvero ab certo iam gaudio tantus cum clamore plausus est ortus, ut facile appareret nichil omnium bonorum multitudini gratius quam libertatem esse. Neque enim illi nunc dominos se mutasse, sed ex inferis crudelissime servitutis in lucem quandam candidissime libertatis credunt evasisse. Denique lacrimis pre gaudio manantibus fornacem ferream, in qua eos orcus ille Othnandus dudum coxerat, quibusdam^c miris modis execrabant sublatis in cęlum manibus. Tum certatim inter se alius in hoc facto Petri potentissimam clementiam asserebat, alius Georgii presentissimam virtutem iactabat, alius Henrici imperatoris divina merita² predicabat, omnes pariter uno ore vobis precipue dies longos, leta tempora semperque similes triumphos precabantur. Nec minus clerus vobis, ut par est, devotissimus Deo pro vobis, vobis ipse gratias habet et refert, non quantas debet (quis enim id possit?) sed quantas maximas potest. Super omnia vero nos duo constantissimę vestrę benivolentię pro fratre Hartvico³ unice gratamur, neque solus ille arroget sibi hoc beneficium, nos enim,

5. b) adeo c. c) quibusquam c.

¹⁾ Über Forchheim und Othnand vgl. St. 2608 von 1062 Juli 13, dazu zuletzt E. FRHR. VON GUTTENBERG, Die Territorienbildung am Obermain (79. Bericht d. Histor. Vereins zu Bamberg, 1926) S. 116 f.

²⁾ Heinrich II. erscheint hier also, zusammen mit den hll. Petrus und Georg, geradezu als Bamberger Schutzheiliger. ³⁾ Wohl identisch mit dem Hertwicus thesaurarius bei USSERMANN, Episcopatus Bamberg. Cod.

prob. S. 44 n. XL.